



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Consensus Veteris Et Moderni Papatus**

**Reck, Johann von der  
Monasterii Westphaliæ, 1722**

VII. De Purgatorio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68472)



V I I.

De Purgatorio.

*S. Hieronymus in fine commentarii in Isaiam.* Et sicut diaboli, & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, non est Deus, credimus æterna tormenta: sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementiæ sententiam iudicis.

*S. Cyprianus lib. 4. epist. ad Antonian.* Aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia passione purgasse.

*S. Theodoretus in comment. ad 1. Cor. 3.* Hunc ipsum ignem Purgatorium credimus, in quo animæ defunctorum probantur & repurgantur, sicut aurum in conflatorio.

*S. Gregorius Nyssenus in orat. pro mort.* Non poterit à corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas



culas animo immixtas Purgatorius ignis abstulerit.

*S. Gregorius lib. 4. dial. c. 39.* Ex quibus nimirum sententiis constat ; quia qualis hinc quisque egreditur , talis in iudicio præsentatur. Sed tamen , de quibusdam levibus culpis , esse ante iudicium Purgatorius ignis credendus est , pro eo , quod veritas dicit : quia si quis in Sancto Spiritu blasphemiam dixerit , neque in hoc sæculo remittetur ei , neque in futuro. In qua sententia datur intelligi , quasdam culpas in hoc sæculo , quasdam verò in futuro posse laxari. Quod enim de uno negatur , consequens intellectus patet , quia de quibusdam conceditur.

*S. Augustinus Hom. 16. ex lib. 50. hom.* Qui temporalibus pœnis digna gesserunt , per ignem quendam Purgatorium transibunt : de quo Apostolus inquit , salvus erit ; sic tamen quasi per ignem.